

МАЛОТИСТИН  
КАЗІЛІГЕ  
БЕНЕДІКІТІХ  
МАРСУСІНДА  
КОМПАСІУС  
ІСІККЕДЕРІ  
ІСІККЕДЕРІ

# ER-DVNIELE CONCINA



**FONDO  
ACERVO GERAL**

167206

Rome, MDCCXVII.

# BENEDICTO XIV. PONTIFICI MAXIMO.

F. DANIEL CONCINA ORD. PRÆD.

## FELICITATEM.



Ivino plane consilio destinatum, effectumque est, BENE-  
DICTE MAXIME, ut Te clavum Catholicæ Ecclesiæ  
tenente, qui quanto dignitate, & imperio, tanto sapien-  
tia, eruditione, factudia, & incredibili dicendi perspicui-  
tate omnibus antecellis, gravissima de sc̄nore controversia effervesceret, acri-  
terque in utramque disputaretur partem. Tanto enimvero PONTIFICE, tam-  
que sapiente JUDICE opus erat, ut impeditissimæ, unaque gravissimæ contro-  
versiæ finis imponeretur. Jam a duobus circiter sæculis Hæresiarcha Calvinus,  
Carolus Molinæus, cæterique Transalpini hæretici catholicum adversus usuram  
Dogma adulterare, corrumpere, & labefactare cœperunt, duplarem communi-  
scentes usuram: nimiam unam, opprimentem, mordentemque pauperes: mode-  
ratam quæstuosamque alteram, quæ commercia, & mercaturam promoveat. Illam,  
non item istam reprobata a divina lege contendebant. Romanæ vero Commu-  
nionis Theologi omnes adeo strenue pugnarunt adversus novam opinandi rati-  
onem, ut erroneæ doctrinæ virus per integrum, & amplius sæculum Catholicorum  
neminem inficere potuerit. Ex quo factum est, ut hæc Romana Sedes  
nullam ad hæc usque tempora adversus hunc errorem rogaverit legem, consti-  
tutionem, aut decretum: quandoquidem nullo morbo hac in parte Sponsa TUA  
laborante, nullo opus erat remedio. Verum a medio circiter sæculo desertores  
quidam Jansenistæ sub ementita Catholicæ Religionis larva Calvini, & Molinæi

## E P I S T O L A

doctrinam variis fucis illitam adoptare, mediaque in luce defendere aggressi sunt. Sensim hæretica doctrina venustis obducta formis nonnullos parum cautos hebetavit Catholicos, qui pro eadem arma capere non dubitarunt. Tanto vero exarsit fervore literaria controversia, ut tandem ad supremum TUUM Apostolicum Tribunal judicanda delata fuerit. TU autem pro ea, qua in Cathedræ Tuæ regimine ornatus prudentia es, continuo Purpuratorum Patrum, Prælatis, & Theologis adjectis, Collegium instituisti, qui, semoto partium studio, gravissimam causam pro dignitate examinarent, sententias suas scripto exaratas exhiberent, & voce TE coram exponerent.

Quis vero dicere, nedum stilo exornare sufficiat, quanta TU, votis omnium Consultorum expensis, doctrinarum copia singula capita firmaveris; quantum cuique discusso articulo eruditio[n]is lucem adjeceris? Illud vero satis nos admirari non potuimus, vixque apud posteros fidem inveniet, quod TU, quamvis immensa Apostolicarum sollicitudinum multitudine hoc turbulentissimo tempore circumdatus, tamen, quasi hoc unum negotium ageres, non aliquem magni nominis Auctorem, qui hoc tractaverit argumentum, sine attenta lectione præteriisti; non Codices, non acta agitatæ olim sub Antecessoribus controversiæ indaginem, studiumque TUUM effugere potuerunt. Quæ hisce oculis vidi, quæ hisce auribus audivi, ea sane prædico. Ubi vero Purpuratorum Patrum vota plane intellexisti, atque enucleatam pro dignitate causam judicasti; tum IPSE SOLUS, ut Pontificem Summum, unaque Doctissimum decet, eam denuo recognoscere, & puncta quæque, immo & apices ipsos ad severiorem criticem exigere, profundiusque, divino implorato lumine, meditari perrexiisti, ut nihileorum, quæ humana postulat industria, prætermitteres.

Studia vero TUA atque conata, BEATISSIME PATER, Deus ipse perficit, eam TIBI implicatissimæ controversiæ dirimendæ, sententiæque rogandæ formam, rationemque singulari afflatu inspirando, quæ non quid credendum modo, verum etiam quid agendum præmonstraret. Primum omnium genuinas mutationis, & fœnoris notiones præstiuisti, occluso cavillis aditu. Succedit definitum dogma, a duobus fere sacerulis in discrimen adductum: videlicet omnem usuram cum paryam, tum magnam, cum a pauperibus, tum a divitibus exactam, vetitam a Deo esse. Quod ad alterum agendorum punctum attinet, verba illa altius omnium, qui interfuius, animis infixa patesciam oportet, quibus TU in ultima super hoc argumento habita consultatione sermoni TUO eloquentiæ, doctrinæque plenissimo finem imposuisti. Quid? definito dogmate, provisum ne sat erit Ecclesia? Regendæ contradicuum æqualitati consulendum est. Quod

delapsum

## E P I S T O L A

delapsum e cælo oraculum boni omnes interpretabantur. Quid prodesset dogma definiri Catholicum, illudque voce confiteri, si interea usuræ flagitium non minus in Catholicorum, quam in hæreticorum mutationibus serperet, hac sola adiecta verborum diversitate, quod isti usuram moderatam appellant, quam illi honestum lucrum nominant? Vocem ne, non item rem ipsam prohibet divinum mandatum? Quid refert varios vitio obducere colores, illudque splendido titulorum apparatu ad genium conficto exornare? Hisne fallaciis Deus luditur, aut verborum circuitione scelera declinantur? Quid interest hoc, aut illo principio, hac, aut illa via fœnus propugnare, quando utriusque partis molimina, oppositis licet cuniculis, eo tandem spectant, & recidunt, ut quælibus injustis cupiditas saturetur? Quin gravius illi peccare videntur, qui, cognito dogmate, compertoque mandato, illud violent, versutissime deludunt, quam, qui falsa præventi intelligentia, illud omnino extare infiantur.

Hæc TU, PONTIFEX OPTIME, serio perpendens, post collocatum in tu-to dogma, vana quoque commenta, quibus illud circumvenire non pauci solent, penitus profigasti. Contractus, unde profecta disputatio est, quam prudenterissime præteriisti, quod plura ad rectum ferendum judicium necessaria de- essent. Nullam quoque singillatim propositionem eorum, quæ commentitum dogma efficiunt, confixisti. Aliæ quippe in mutui natura insitos, atque innatos honesti lucri titulos comminiscuntur: aliæ contractus innominatos, solaque ani-mi intentione conceptos effingunt: aliæ censis utrimque redimibiles; aliæ præ- valentis consuetudinis vim, aut altum Principum Dominium obtrudunt. Quæ opinationes si consisterent, fictitium revera dogma, vanum præceptum, vera- que forent hæreticorum probra in Catholicos, qui omnem, atque adeo vel mi-nimam usuram voce detestantes, reipsa usuram quamlibet, & a quibusvis ex- etiam lepidis commentis, festivisque titulis versute propugnant. Ut singulæ opini- ones istæ prosciberentur, excerptæ ex libris fuissent, eorum, quæ & antecedunt, & consequuntur, ratione habita: longiore discutiendæ examine: ac- commodandæ singulis censuræ propriæ. Quæ omnia inducias, & obstacula plu- rima peperissent, omnemque eventum aut retardassent, aut penitus impedi- fissent. Interea serpebat erroneæ doctrinæ virus, instabant pejora mala, præsen-ta neumque postulabat remedium periclitantium Fidelium salus.

Quam TU autem, PONTIFEX BEATISSIME, in tanto rerum discriminé positus arripiisti viam, ut his omnibus occurres malis, Gregemque sollicitu- dii TUÆ commissum ab erroribus eriperes, salubri doctrina pasceres, instru- ctione erigeres? Optimam plane, atque ostensam TIBI divinitus. Eas quippe

consti-

constitueristi universales, ineluctabilesque regulas, quæ definitum dogma firmant; quæ præceptum cum justa executione consociant, quæque non unam, aut alteram, sed omnes prorsus recensitas opiniones æquo laxiores necessaria consecutione penitus labefactant; quemadmodum in hoc meo qualicumque Commentario, luculenter, ut spero, demonstrabo. Siquidem ut pecunia, quæ suaptenatura sterilis est, fœcunda evadat, contractus a mutui natura, non voce tenus, ut scituli quidam contendunt, sed re prorsus diversos ineundos præscribis. Titulos mutuatitiae pecuniæ innatos rejicis. Claudendas aures in eptis illorum sermonibus, qui diffirant, de usuris hoc tempore questionem instituit, que solo nomine continetur, admones: illos tandem, qui docent semper adesse vel legitimos titulos, vel contractus justos, quorum præsidio quotiescumque pecunia alteriusunque creditur, liceat moderatum quæstum, salva sorte, recipere, non modo divinis Litteris, & Ecclesiæ judicio, sed ipsi etiam humano communi sensui, & naturali rationi proculdubio adversari, decernis, atque declaras. Quibus sane principiis a TE sapientissime prædictis, in hac TUA DECRETALI EPISTOLA confirmatur definitum dogma; justæ mercaturæ moderandæ norma patet: evanescunt captiunculæ eorum, qui languere meliores artes, jacere mercaturam, interire commercia, sublata usura moderata, mussitabant: cum potius florere commercia, promoveri publicum commodum, instaurari artes, divitiis, & prosperitate Civitates, & regna affluere videamus, si fœnore, & injustitia pulsis, rite omnia ad justitiae libram exigantur. Tandem sponte corruunt, & necessario in nihilum occidunt laxioris ethices opiniones, calumniantium hæreticorum ora obstruta remanent; provisumque hac TUA celeberrima DECRETALI tum credendis, tum agendis agnoscunt docti, bonique omnes.

In hac TUA, quam delineavi, gravissimi negotii procuratione, alii admirabantur sapientiam; prudentiam alii: illi laborem studiumque indefessum; isti mentis magnitudinem: illi incredibilem rei gerendæ dexteritatem; isti ingenii penetrationem. Verum enim vero quæ me, BENEDICTE MAXIME, ex totius virtutibus admirabundum tenet, illa est inusitata, atque inaudita clementia, qua, confixis erroribus, salvos voluisti eorumdem Authores. Nec dubito, quin mecum omnes hanc TUAM virtutem, qua una propius ad Deum, cuius hic in terris vices sustines, accidis, admiraturi sint, si finem secum animo reputaverint, quem TU ob oculos habuisti. Quorsum enim hæc tanta animi tui lenitas, ac benignitas? Eo sane, ut errantes non coacte, sed sponte; non vi, sed amore vici, patefactæ veritatis semitam ingrediantur: ut illi ipsi, divina doctrina cognita, suos damnent errores, libroisque retractent. Sola pertinacia penarum severitate:

tate frangenda est. Contra, bona fide, innocenterque errantes solius veritatis ostensione lucrandi, ut sit cum ingenti fœnore duplicata victoria. Hæc undique securior via est, & obſtendi erroribus, & indipiscendi devios. Quod si tantæ clementia opportunus non responderet eventus, erroneaque doctrina fasces submittere recusaret, aut nova deludere arte veritatem auderet; severiori Constitutioni temper pateret aditus. Tum vero universus terrarum orbis intelligeret, a TE in suprema constituto potestate foederatam cum veritate mansuetudinem, clementiam, rerumque omnium modum proficiendi: ab illis autem, qui sincere respicere, suosque dedocere errores nollent, severitatem & proscriptiones; dicentque omnes, TE cæteroquin indole, atque ingenio TUO misericordem, severum ab illis effectum esse. Singula, quæ hactenus levi manu perstrinxī capita, in hoc Commentario pro dignitate tractabo.

Hæc sunt, PATER BEATISSIME, quæ mirum in modum confirmant non modo quod initio dixi, Divina nempe Providentia factum esse, ut TE SAPIENTISSIMO PONTIFICE Regnante, momentosa, aleæque plenissima controversia de usura excitaretur, ut pleno in lumine collocata, damnata tandem ex Sedis Apostolicæ Decreto de dupli quæstuoso fœnore doctrina jaceret, justæque negotiationis regulæ designarentur: verum etiam ea probant, quæ in alterius Operis dedicatoria epistola ad TE data, indicavi. Dixeram ibi, TE in hac Orbis principe Urbe ideo a supremo Numine disciplinis excultum, omnique scientiarum genere exornatum in Pontificem summum delectum esse, ut inter alia, quæ jam præstisti, atque in dies prætas facinora luculentissima, æternaque memoria digna, divinam potissimum Theologiam tanta opinionum perversitate deformatam ad pristinum, nativumque nitorem revocares. Magna utique istius pars jam inde ab initio Pontificatus TUI refloruit. Et ut pauca universim delibem, tractatus de fœnore hac tua insigni DECRETALI pleno in lumine constitutus est. Sacratum imaginum arguento ingentem adjecit lucem TUA ad Episcopum Augustanum epistola, eruditione, & doctrina refertissima. Jejuniorum disciplina, tribus TUIS editis hac de re monumentis instaurata conspicitur. Orientalium Indiarum Religio a superstitione pravitate purgata resplendet. Sacramentorum administratio, incruenti Sacrificii sanctitas, Matrimonii indissolubilitas, Episcoporum residentia, Ministrorum electiones, Christianæ doctrinæ tradendæ ratio maximum suscepserunt incrementum. Quid, si ea recordari vellem, quæ pro Græcorum Romanæ Communionis moribus formandis: quæ pro Patriarcha Maronitarum in Romano foedere confirmando edisti? Ne multa. Tanta in hoc uno instaurata Theologiaz genere a TE præstisti?

## E P I S T O L A

ta jam sunt, ut plures illustrare Pontificatus possent. Ac perinde quasi his omnibus a TE feliciter absolutissimeque peractis parum adhuc Pontificatui TUO luminis accessisset, atque ornamenti, eum præterea illustrasti quam maxime nuperis hisce diebus, quibus non solum TE in Sanctorum album quinque DEI SERVOS vidimus referentem; sed audivimus quoque in Sacrosanta SS. Petri, & Pauli Basilica Missarum inter solemnia elata gravique voce laudantem, dum celebri illa TUA HOMILIA, majestatem sapientiamque Sanctorum Patrum omnino præferente, eosdem coram universa hac Urbe, ingentique advenarum frequentia honore prosequereris. At TIBI BENEDIGTE MAXIME, pauca ista sunt. Grandis adhuc TIBI via restat, majoraque TE facinora manent. Triginta supra CCC. propositiones, quas, curante pia memoria Cardinali Beluga, Archiepiscopi Hispaniarum proscribendas supremo TUO judicio subjecerunt: ducentæque aliæ aliunde ad TE datæ tuam expectant censuram, qua a Christiana Theologia exterminentur.

Erunt, nullus dubito, qui dicturi sint, me nimio studio solius christiana Ethices instauracionem apud TE urgere, ac si hoc unicum Apostolicæ Sedis negotium esset. Quibus repono: si minus hoc unicum, potissimum tamen, omniumque maximum esse, nemo, nisi divinarum Litterarum ignorans, inficias ire poterit. Hoc quippe depositum illud est, quod Fidei, vigilantiæque TUÆ concredidit Deus. Faceant ergo, PATER BEATISSIME, vana, atque inepta cogitata, quæ suggestit carnis prudentia. Hæc, quoties exterminandus error est, afferendaque christiana doctrina, continuo exquisita versutia funesta portendit eventa, & cieri turbas auribus insuffravit. Facescant, inquam, hæc subdola, & levissima articia, Deo ipso clamante, Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentium reprobabo. "Cathedra hæc TUA, PATER SANCTISSIME, veritate parta, veritate hanc Sion arcem occupavit; veritate decem, & octo saeculis stetit, aeternumque veritate stabit. Veritas hæc divina est, quæ prudentiam scilicet divinam sibi sociam asciscit, fastiditque mundanam, quæ astus humanæ mentis, & captiunculas spernit. Quo sincerior, quo splendidior veritas hæc ab ista Petri Cathedra prodierit, eo populi, Principes, Reges, omnesque tum catholici, tum hæretici demissori obsequio hanc sanctissimam Sedem, ut compertum experientia est, suspicent, colentque. Perge porro, BEATISSIME PATER, & quo cœpisti pede progredere. Fortitudinis spiritum instaura, Deique armaturam indue, ut quæ alta tua concepisti mente, valeas

ad

## E P I S T O L A

ad Dei gloriam, Ecclesiæ commodum, & immortalem tui Nominis celebratam in lucem emittere. Tertium hoc Commentarium est, quod in tria ex innumeris Pontificiis tuis monumentis edidi. Sed plura me editurum in posterum spero, si ea, qua soles, clementia, & benignitate suscepereis hoc, quod, post sanctorum Pedum oscula, nunc BEATITUDINI TUÆ profunda veneratione dedito, & consecro.



# AD LECTOREM.

**C**ommentarium istud non partium studium, sed veritatis amor peperit, immo gravissimæ defendendæ causæ necessitas me ad illud edendum coegit. De duobus brevissime mihi præfandum. Et ut a primo initium capiam, simul ac in lucem prodiit BENEDICTI XIV. celebris adversus usuram *Decretalis Epistola* mussitari cœptum, nihil in ea definitum, declaratumque nihil. Vetusta hæc effugia sunt; & illis, qui opinionibus semel imbutis pugnacissime adhærescunt, usitata, atque familiaria articia. Nihil definitivè SIXTUM V. adversus trinum contractum: Nihil S. PIUM V. adversus census personales: aut non acceptatas istorum Constitutiones imperitorum auribus insuffrabant olim mollioris Disciplinæ patroni. Mirandum ne, si easdem, aut similes modo renovari cavillationes, easdem repeti technas, & fallacias inaudiamus? Verum enim vero ulterius progressa res est. Per Italiam circumferuntur calamo exaratae Apologiæ, in quibus vel ipsos manifestos errores approbatos esse in Decretali Pontificia Epistola intrepide asseritur? Non itaque miranda sunt hæc; sed potius illorum misereamur oportet, qui tantas ferere imposturas non erubescunt; & seductioni, errandique periculo subducendi imperiti sunt. Sex Doctrinæ capita constituit, totidemque errores damnat Pontifex Summus. Primum scenoris peccatum in mutationis officio sédem habere declarat. Deinde adversus hæreticum Calvini, Molinæi, Salmasii, Brodersen, & Asseclarum inventum, definit, usuram quamlibet, sive modicam, sive nimiam, & a quocumque exactam, vetitam a Deo esse. Præterea titulos mutuo innatos rejicit; probat vero extrinsecus advenientes, sicut & contractus, qui sint a natura mutui prorsus diversi. Tum illos divinis Litteris, & communi sensu se se opponere declarat, qui semper cum mutuo aut titulos, aut contractus occurtere docent, qui sint justi lucri causa sufficiens. Quinto loco admonet, claudendas illis aures esse, qui gravissimum usurarum argumentum ad quæstionem de solo nomine revocant. Postremum exprimendas clare, distinque celebrandorum contractuum formas, & pactiones præscribit ad conscientiæ tranquillitatem, Fori exterioris securitatem, & implicitorum contractuum improbationem. Hinc necessario consequitur confixos jacere oppositos errores.

Vera hæc sint, opponent multi: At quis te Pontificia EPISTOLA interpre-

# AD LECTOREM.

tem constituit? Quid tibi adversariorum numerum in dies accumulas? Quid invidentiæ materiam tibi creas, atque adauges? An non satis tibi haec tenus odii comparasti? Quid tuam, alienamque pacem turbas? Ubi prudentia? ubi cautio? ubi judicij maturitas? Sine quæso tandem aliquando *Mundum vadere*, *scutum* vadit. Hoc est alterum præfandi caput adversus istos carnalis prudentiæ Magistros, qui dum talia opponunt, prima Evangelii principia se se turpiter ignorare patefaciunt. Unicuique Deus mandavit de proximo suo. Confidenda, asserendaque veritatis gravissimum mandatum, unumquemque astringit Evangelii professorem, prout cujusque conditio fert. Audiant Politici argutatores, sophistæque leviculi inter cæteros Patres, Sanctum Justinum Martyrem. Hic, ejurata superstitione, istius potissimum mandati vinculo se astrictum sensit. Hec enim scribit in Dialog. cum Triph. num. 82. *Quippe cum perspectum habeamus*, *quicumque verum possit dicere*, *nec dicat*, *eum a Deo judicatumiri*, *quemadmodum* Deus per Ezechiem testatus est his verbis: „*Spectatorem dedi te Domui Israel*”, „*& audies de ore meo verbum*, & annuntiabis eis ex me. Si dicente me ad „*impium*, *Morte morieris*: non annuntiaveris ei, neque locutus fueris, ut averteretur a via sua impia, & vivat: ipse impius in impietate sua morietur. *Sanctum* guinem autem ejus de manu tua requiram.“

Sancti semper fuerunt istius divini Mandati observatores. Ipse Isaías silentii sui lamentabatur. *Vobis mihi quia tacui*. Non occurrit in Litteris sanctis, Deum veros Prophetas increpasse, quod nimio ardore legem patefecerint: sed frequentissime falsos increpitos, punitosque legimus, ob legem aut occultatam, aut fuis illitam, extenuatamque. Sic enim per Isaiam Deus loquitur: *Spculatores ejus cœci*, *omnes*, *nescierunt universi*: *Canes muti*, *non valentes latrare*, *videntes vanam*, *dormientes*, & *amantes somnia*: *Et canes impudentissimi nescierunt saturitatem*: *ipsi Pastores ignoraverunt intelligentiam*: *omnes in viam suam declinaverunt*, *unusquisque ad avaritiam suam*. cap. 56. Similia leguntur in cæteris Prophetis. In Evangelio passim Christus inculcat: *Qui me erubuerit coram hominibus*, & *ego erubescam eum coram Patre meo*. Quorsum hæc? Ut indicarem falsos reperiri in Christiana Ecclesia Doctores, quemadmodum falsis abundavit Prophetis Ecclesia Iudæorum, subdit Martyr Justinus in Dialog. num. 82. *Quemadmodum autem apud vos cum Sandi essent Prophetæ*, *falsi quoque extiterunt*: ita & nunc ejusmodi homines, & falsi Doctores apud nos versantur, quos, ut caveremus, præmonuit nos Dominus noster. Quantum vero in præsentiarum falsis abundet Ecclesia Catholica Magistris, qui aut liniunt parietes absque paleis, quique benigna, & suavia semper pollicentur, aut a quo severiora jactant, & inculcant, aliorum esto judicium.

## A D L E C T O R E M.

Nostrum igitur (pergit S. Justinus Apolog. 1. num. 3.) munus est, ut vita, & doctrina nostrae inspiciendæ copiam omnibus faciamus, ne pro iis, qui res nostras sibi vindicent ignorare, pœnam eorum, quæ cœcuentes peccaverint, ipsi debeamus.

Ab hoc autem manifestandæ veritatis proposito, non mundi timor, non hominum respectus, non plausus desiderium, non persecutionum timor me dimovet: quin si lacerandum me in partes a vobis scirem, non propterea ab implendo manifestandæ veritatis præcepto desisterem, concludit S. Justinus in Dia-log. num. 120. Atque hæc quidem dixi, quia ita sum affectus animo, ut nihil pro rorsus dixerim, in quo aliud curem, quam ut verum dicam, neminem reveriturus, etiam si e vestigio discerpi a vobis sporteat.

Hi sunt Prophetarum, & Ecclesiæ Doctorum sermones: hæc virorum Dei consilia, & principia. Quid ad hæc hujus sæculi prudentes, qui rationibus humanis omnia metiuntur? Reponent ne pro fidei articulis sanctos Martyres pugnasse, non item pro morum legibus? Ineptior hæc responsio foret. Eadem quippe est utriusque doctrinæ necessitas, ut portum salutis teneamus. Noli ergo, cur scripserim, querere: sed quæ scripsi expendito. Unum a te peto, efflagitoque, ut nonnulla calamo properante repetita ignoscas. Si plus otii fuisset, brevius, politiusque opus prodiret. Vale.



SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI DOMINI

# BENEDICTI DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XIV. EPISTOLA ENCYCLICA

Ad Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos,  
& Ordinarios Italæ.

## BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam  
Benedictionem.

**V**IX pervenit ad aures nostras, ob novam controversiam (nempe, an quidam contractus validus judicari debeat) nonnullas per Italiam disseminari sententias, quæ sanæ doctrinæ hædum consentaneæ viderentur; cum statim nostri Apostolici munera partem esse duximus, opportunum asserre remedium, ne malum ejusmodi temporis diuturnitate, ac silentio, vires magis acquireret; aditumque ipsi intercludere, ne latius ferperet, & incolumes adhuc Italæ Civitates labefactaret.

Quapropter eam rationem, consiliumque suscepimus, quo Sedes Apostolica semper uti confuevit: Quippe rem totam explicavimus nonnullis ex Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui Sacrae Theologiae scientia, & Canonicæ Disciplinæ studio, ac peritia plurimum commendantur: Accivimus etiam plures Regulares in utraque facultate præstantes, quorum aliquos ex Monachis, alios ex Ordine Mendicantium, alios demum ex Clericis Regularibus selegimus; Præfulem quoque Juris utriusque laurea prædictum, & in Foro diu versatum adhibuimus. Diem quartam indiximus Julii, qui nuper præteriit, ut coram Nobis illi omnes convenient, quibus naturam totius negotii declaravimus quod illis antea cognitum perspectumque deprehendimus.

Post hæc præcepimus, ut omni partium studio, omnique cupiditate soluti,  
rem

rem totam accurate perpenderent, suasque opiniones scripto exararent: non tamen expetivimus ab ipsis, ut judicium ferrent de contractu, qui controversiae causam initio præbuerat, cum plura documenta non suppeterent, quæ necessario ad id requirebantur; Sed ut certam de Usuris doctrinam constituerent, cui non mediocre detrimentum inferre videbantur ea, quæ nuper in vulgus spargi cœperunt: Jussa fecerunt universi; nam suas sententias palam declararunt in duabus Congregationibus, quarum prima coram Nobis habita est die 18. Julii, altera vero die prima Augusti, qui menses nuper elapsi sunt; ac demum easdem sententias Congregationis Secretario scriptas tradiderunt.

Porro hæc unanimi consensu probaverunt.

I. Peccati genus illud, quod usura vocatur, quodque in contractu mutui propriam suam sedem, & locum habet, in eo est repositum, quod quis ex ipsomet mutuo, quod suæ natura tantumdem dumtaxat reddi postulat, quantum recipit, plus sibi reddi velit, quam est receptum; ideoque ultra sortem, lucrum aliquod, ipsius ratione mutui, sibi deberi contendat. Omne propterea hujusmodi lucrum, quod sortem superet, illicitum, & usurarium est.

II. Neque vero ad istam labem purgandam, ullum arcessiri subsidium poterit, vel ex eo, quod id lucrum non excedens & nimium, sed moderatum; non magnum, sed exiguum sit; vel ex eo, quod is, a quo id lucrum solius causa mutui depositur, non pauper, sed dives existat; nec datam sibi mutuo summa relicturus otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas, vel novis coemendis prædiis, vel quæstuosis agitandis negotiis, utilissime sit impensurus. Contra mutui siquidem legem, quæ necessario in dati atque redditu æqualitate versatur, agere ille convincitur, quisquis, eadem æqualitate semel posita, plus aliquid a quolibet, vi mutui ipsius, cui per aquale jam satis est factum, exigere adhuc non veretur: proindeque si acceperit, restituendo erit obnoxius ex ejus obligatione Justitiæ, quam commutativam appellant, & cujus est, in humanis contractibus æqualitatem cujusque propriam & sancte servare, & non servatam exacte reparare.

III. Per hæc autem nequaquam negatur, posse quandoque una cum mutui contractu quosdam alios, ut ajunt, titulos, eosdemque ipsimet universum naturæ mutui minime innatos & intrinsecos, forte concurrere, ex quibus justa omnino legitimaque causa consurgat quiddam amplius supra sortem ex mutuo debitam rite exigendi. Neque item negatur, posse multoties pecuniam ab unoquoque suam, per alios diversæ priorsus naturæ a mutui natura contractus, recte collocari & impendi, sive ad proventus sibi annuos conquirendos, sive etiam

ad

ad licitam mercaturam, & negotiationem exercendam, honestaque indidem lucra percipienda.

IV. Quemadmodum vero in tot ejusmodi diversis contractuum generibus, si sua cujusque non servatur æqualitas, quidquid plus justo recipitur, si minus ad usuram (eo quod omne mutuum tam apertum, quam palliatum absit), at certe ad aliam veram injustitiam, restituendi onus pariter afferentem, spectare compertum est; Ita si rite omnia peragantur, & ad Justitiæ libram exigantur, dubitandum non est, quin multiplex in iisdem contractibus licitus modus & ratio suppetat humana commercia, & fructuosa ipsam negotiationem ad publicum commodum conservandi, ac frequentandi. Absit enim a Christianorum animis, ut per usuras, aut similes alienas injurias florere posse lucrosa commercia existimant; cum contra ex ipso Oraculo Divino discamus, quod *Justitia* (a) elevat gentem, miseros autem facit populos peccatum.

V. Sed illud diligenter animadvertisendum est, falso sibi quemquam, & non nisi temere persuasurum, reperiri semper ac præsto ubique esse, vel una cum mutuo titulos alios legitimos, vel secluso etiam mutuo, contractus alios justos, quorum vel titulorum, vel contractuum præsidio, quotiescumque pecunia, frumentum, aliudve id generis alteri cuicunque creditur, toties semper liceat auctarium moderatum, ultra sortem integrum salvamque, recipere. Ita si quis senserit, non modo divinis Documentis, & catholicae Ecclesiæ de Usura judicio, sed ipsi etiam humano communi sensui, ac naturali rationi procul dubio advertabitur. Neminem enim id saltem latere potest, quod multis in casibus tenetur homo, simplici ac nudo mutuo alteri succurrere, ipso præsertim Christo Domino edocente: *Volenti* (b) mutuari a te, ne avertaris; & quod similiter multis in circumstantiis, præter unum mutuum, alteri nulli vero, justoque contractui locus esse possit. Quisquis igitur suæ conscientiæ consultum velit, inquirat prius diligenter, oportet, vere ne cum mutuo justus alius titulus; vere ne justus alter a mutuo contractus occurrat, quorum beneficio quod querit lucrum, omnis labis expers & immune reddatur.

His verbis complectuntur, & explicant sententias suas Cardinales, ac Theologi, & Viri Canonum peritissimi, quorum consilium in hoc gravissimo negotio postulavimus. Nos quoque privatum studium nostrum conferre in eamdem causam non prætermisimus, antequam Congregationes haberentur, & quo tempore habebantur, & ipsis etiam peractis: nam præstantium Virorum suffragia, quæ modo commemoravimus, diligentissime percurrimus. Cum hæc ita sint, adprobamus, & confirmamus quæcumque in sententiis superioris expositis continen-